



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

22. S. Maria Magdalena

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Sed nostro cum damno; quia eò frequentius cadimus.

*Instructio meritoria.*

Fili! dæmonem sibi graviter insultantem solo S. Crucis signò à se abjicit S. Margareta. Non simus sine Crucifixo. Portemus in pectore! Veneremur in cella. Exosculemur in tentatione cum suspirio: *Jesu! ad adjuvandum me festina! Vim patior pro te!* Recitemus psalmum: *Qui habitat in adjutorio altissimi, in protectione Dei commorabitur &c.* Ne prævaleat inimicus animæ in morte, singulis annis hoc festum eorum S. Confessione, aut unò, vel alterò mortificationis, & abstinentiæ actu honoremus, & veneremur. Margareta est Nomen ejus, appretiemur!

Festum S. Mariæ Magdalena  
poenitentium speculi.

EXHORTATIUNCULA I

**F**ili! Videmus poenitentem ad pedes Jesu Mariam Magdalenam. Quis sensus noster de tam subitanea conversione, & poenitentia? Tantùm profuit,  
ante

ante Jesum sese humiliasse! Capita superba! vos quoque deprimite! Quotidie Jesum adoramus, palpamus, imò manducamus sub speciebus panis, & vini: Cur nulla sequitur seria morum conversio, & pœnitentia vitæ? Deest fides! Quia non vivaciter aspiciamus, quis nostra inhabitet corda? O nos incredulos!

*Instructio meritoria.*

Capita inclinemus, oculos in terram defigamus, gravitati, & modestiæ angelicæ studeamus, dum coram sanctissimo Venerabili in Ecclesia stamus, vel oramus. Dum recedendum è templo, pro Custode Tabernaculi S. Mariam Magdalenam relinquamus, utque interim, dum abfuerimus, cum tota cœlorum curia adoret, laudet, & glorificet Jesum, fraternè supplicemus. In reverentiam tanti obsequii festum hujus Sanctæ semper præveniamus nocturnò jejunio cum illo psalmò: *Benedic anima mea Domino &c.* O devotionem animæ fructuosissimam!

II. Se-

## II.

**S**ecuti sumus Mariam in peccando sequamur & pœnitendo, ac amando, ut vel sic cum ea audiamus in lectulo, & horâ mortis ex ore Divini Judicis: *dimissa sunt tibi peccata; Quia dilexisti multum.* Hæc vox promissa est seriò pœnitentibus.

*Instructio meritoria.*

Misereamur ergò animæ nostræ; misereamur & aliorum gravissimorum peccatorum, pro quorum illuminatione, compunctione, & conversione coram Sanctissimo, vel aliquo Crucifixo recitabimus *Septem psalmos pœnitentiales.* Addamus & unum vel alterum actum rigoris, & discretæ austeritatis. Peccavimus in carne! pœniteamus quoque de carne.

## III.

**Q**uod quondam periclitanti animæ hoc dat & nobis monitum S. Magdalena, quæ ita ad miserellum: *Hactenus, quia coluisti me, pro te fui apud Deum in cælis mediatrix, & advocata. Surge jam, conscientia noxas detege, pœnitentiam*

*tiam age, nec ego te deseram.* Quis sub  
tanta Patrona vivere, vel mori timeat?

*Instructio meritoria.*

Ab hac die discamus S. Magdalenam  
venerari, certam hujus imaginem nobis  
procurare, vel etiam ad aras hujus No-  
mini sacras frequenter invisere, & quo-  
tidie pro impetrando perfecto horrore  
omnis peccati, solido sæculi contemptu,  
& puro ac genuino Dei amore magnâ  
pietate & affectu expansis brachiis *tria*  
*Pater, & Ave* cum totidem *Gloria Pa-*  
*tri &c.* persolvere statuamus. Deus ho-  
noravit Magdalenam: Cur non & homo?

Festum S. Jacobi Hispaniæ

Magni Apostoli, & Protectoris.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**umusne amici Christi? Dilecte! Fuit  
S. Jacobus, qui & usque ad mortem  
Magistro in fide, & dilectione fidelis ex-  
stitit. Quàm benè Cassiodorus: *Qui*  
*verè amicus est, omni tempore tam sere-*  
*no, quàm nubilo diligit.* Eum non se-  
parat tormentum, labor non laxat, the-  
saurus non superat, alienus amor non  
occu-

occu-